Decretum 14 Janu 1711

~~In congregatione~~ feriâ quartâ, die 14ª januarii 1711. in congregatione generali S.ta R.æ et universalis inquisitionis habita in conventu S.ta Mariæ supra Minervam, coram E.E. et R.R. d.d. S. R. E. cardinalibus, in totâ republicâ Xtianâ contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ sede apostolicâ specialiter deputatis.

Lectis litteris domini Nuncii apostolici Coloniensis referentis Dnum Petrum Coddaeum Archiepiscopum Sebastenum in Hollandiâ gravi morbo detineri, non sine imminenti vitæ periculo, seque ad tollendum (si fieri posset) publicum scandalum quod ex notoriâ et diuturnâ ejusdem Arch. inobedientiâ tot decretis apostolicis, exortum crescebat in dies; transmisisse in Hollandiam Alexandrum Borgiam auditorem suum, unâ cum paternis litteris, eum ad veram, et catholico Archiepiscopo dignam resipiscentiam, adhortationibus; et nihilominus ipsum in suâ contumaciâ perstitisse, ac præterea petentis ejusdem sacræ congregationis mandata, quid sibi agendum esset, quatenus præfatus archiepiscopus, quod deus averteret, in eâdem damnabili pertinaciâ moreretur: Eadem sacra congregatio re maturè discussâ, die trigesimâ decembris 1710. censuit eidem Archiepiscopo quatenus sine debitâ pœnitentiâ decesserit aut decedat, denegandâ esse a Xti fidelibus solita suffragia, tanquam notoriè inobedienti et refractario constitutionibus et decretis apostolicis et privandum esse ecclesiasticâ sepulturâ; eâque de re per eundem d. nuntium Coloniensem, admonendos esse omnes catholicos in Hollandiæ partibus constitutos: quod quidem decretum a R. p. d. assessore S.ti Officii SS. DD. N. DD. Clementi divinâ providentiâ Papæ undecimo eâdem ~~approbavit et executioni demandari jussit~~ die in solitâ audientiâ relatum; sanctitas sua approbavit et executioni demandari jussit. Cum verò postmodum aliis ejusdem d. Nuncii, et pluribus aliarum, litteris, sacræ congregationi renuntiatus fuerit infelix ac undequaque deplorabilis ejusdem Arch. obitus, absque

ullo pœnitentiæ de præfatâ publicâ inobedientiâ, signo, imò cum repetitâ novis et enixis supradicti auditoris adhortationibus repugnantiâ atque obstinatione, præsertim in denegandâ debitâ subjectione decretis apostolicis ac subscr. novissimæ constitutionis SS. DD. nostri quæ incipit Vineam Dni Sabahoth adversus jansenianam Hæresim eadem sacra congregatio die 11ª. januarii 1711. re iterum maturè discussâ, quamvis non sine maximo omnium eminentissimorum ~~tandi~~ patrum dolore, censuit supra dictum decretum die trigesima decembr. 1710 editum, esse exequendum; et per eundem D. Nuncium (non tam ad ~~[illegible]~~ damnandam defuncti memoriam, quam ad aliorum contumaciam ac refractariorum exemplum et admonitionem, ut tremendi judicii dei memores, saluti animarum suarum opportunè consulant) omnibus per Hollandiam catholicis significandum esse, quæ omnia et singula per R. P. D. assessorem eâdem die in solitâ audientiâ SS. DD. nostri relatu, sanctitas sua prout idem Reverendissimus P. D. assessor retulit, in omnibus et per omnia benignè approbavit et executioni demandari jussit.

Joseph Bartholus S. R. et
Universalis Inquisitionis Notarius.